



Andreas apud Septentrionales Germanos natus à pueris operam literis dedit, atq; artium et linguarum fundamenta feliciter iecit. Inde uero animum ad Medicinæ scientiam conuertit, & tanto successu in ea perrexit, ut omnium cōsensu Doctoralia insignia sibi compararet. Postea suam artem apud Vratislauenses et finitimos populos exercere coepit, & ob rerum experientiam cunctis gratissimus fuit. Itaq; factum ut Albertus Prussiae dux eum ad se Regiomontem uocarit, atq; artis Medicæ professorem constituerit. Eam functionem is tanta dexteritate suscepit & administravit, ut anno 1552 eius Academiæ Rector constitueretur. Eo autem tempore ob Osiandri doctrinam magni motus in Prussia excitabant, qua nouum quēdam iustificationis modum proponebat. Cum itaq; multi doctorum eam approbarēt, & Albertus princeps etiam aliarum Ecclesiarum iudicium inquireret, hunc Andream amicum Osiandri hinc inde ad principes legatum misit, & rem tanti momenti cum alijs conferre iussit. Itaque cum 1553 Studgardię esse, hunc Andream apud Christopherum ducem sui principis mandata exequentem uidi, atq; cum D. Ioanne Brentio de ea doctrina conferre audīui, quin etiam de ea re mecum cōtulit, & eius doctrinæ originem & successum libellis quibusdam in Prussia editis ostēdit, & ut mecum Basileam transferrem uoluit. Cum hoc modo Andreas domi foris' que res sibi commissas magna prudentia expediret, omnibus doctis innotuit, & in primis apud suum principem magnam gratiani inijt, **A-**nonym.